

Q. K. 520, 4

B. m.



Q. D. B. V.

DE

TYPOGRAPHIA,

disputabunt publice

PRAESES

M. ERNEST. CHRISTIANUS
SCHROEDTERUS,

Wittenberga-Saxo,

&

RESPONDENS

JACOBUS FRIEDERICUS Kunad/
Dalehn. Misn.

Die I. Septembris,

Anno O. R. M DC XCVII.

In Auditorio Minori.

VVITTENBERGAE,
Per CHRISTIANVM SCHROEDTERVM, Acad. Typ.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.





PRAELOQVIUM.

Quod unusquisque mortalium, imprimis verò
Literatorum, *Typographia* multa debeat, tam
certum omnino est, quam quod certissimum.
Reges enim, inquit Dn. D. Michael Majerus, in
Vero Germaniae Invento, *Principes, Comites, Barones, tam
ignobiles, quam nobiles, tam seculares, quam Ecclesiastici, Theologi,
Medici, Jurisconsulti, Philosophi, Historici, Poëtae, omnesque alii,
ex una arte Typographica multum se in rerum cognitione adjuvos
fatebuntur.* Quare non *hinc*, D. L. HOS, PATRONORUM
juni, *EXERCITIUM* meditantibus publicum, hanc, nec aliam
assumisse materiam. Siquidem cum alii multa, nos omnia
arti huic incomparabili debemus: cum alii propter
rerum cognitionem literarumque studia, nos insuper etiam
propter vitam, Genitorem quippe venerantes *Typo-
graphum*, vitaeque conservationem totos ipsi obstrictos
agnoscimus, fatemurque. Et quancquam de *Typographia*
hactenus multi, iiqve Celeberrimi pariter ac Doctissimi
Viri memoriae non nihil proditum reliquerunt; in quo-
rum numerum referas modò laudatum *Majerum*, itemque
*Polyd. Virgilium, Henric. Salmuthium, Thom. Lansium, Jo. Henr.
Bœclerum, Dan. Cramerum*, aliosque non paucos; interim
non constat tamen, de illa publice hinc fuisse disputatum.
Ad nos proinde cum non una de causa, ut diximus, perti-
nere videatur literarum hoc praesidium, constituimus,
brevibus naturam essentiamque ejus, pro ingenii declara-
re modulo. Faxit DEUS, ut feliciter succedat!

Evolutioni Nominis *Typographiae* non est, ut multis im-
 moremur, eandemque prolixè declaremus; siqui-
 dem quod ad *Etymologiam* attinet, neminem exstimamus
 fore, cui non constaret, *Typographiam* suos deducere nata-
 les à Verbo Graeco $\tau\upsilon\pi\gamma\rho\alpha\phi\epsilon\upsilon$, i. e. typis scribere: atque
 hoc ipsum compositum rursus esse, tum ex nomine $\tau\upsilon\pi\upsilon\varsigma$,
 tum Verbo $\gamma\rho\alpha\phi\epsilon\upsilon$, scribere. Observandum tamen hoc
 loco venit, vocem $\tau\upsilon\pi\upsilon\varsigma$, cum plures habeat significatio-
 nes, hic nihil aliud notare, quam characteres certos ad
 imprimendum, librosque excudendum idoneos. Vo-
 cantur vero Typi ideo, quoniam, ut *Lexicon Graecum Ba-
 sileense* explicat, primis characteribus stylorum, quam si-
 millimi exeant, ex formis scilicet, in quibus, beneficio stylo-
 rum horum, fuerant impressae literarum figurae ac inci-
 sae. Adeoque innotescit facile, *Typographiam*, vi *Ervmi*, e-
 jusmodi esse artem, qua Typis aeneis scribitur, ut hinc
 non immerito *novum* saepius *scribendi genus* appelletur.

II. Circa *Homonymiam* probe distingvas necesse est,
 nostram, quam hic tradimus, à *Sinensium* *Typographia*.
 Licet enim *Hugo Grotius* adhuc dubitet de *Sinensium* im-
 primendi ratione, an etiam *Typographia* salutari possit?
 negativamque tueri conetur contra *Jo. de Laet* (in *diff. II.*
de Orig. Gent. Amer.) quia non parum à nostra discedat;
 cum tamen nec à *Grotio*, nec alibi aliud quoddam nobis sup-
 peditetur vocabulum, quo illorum imprimendi modus
 exprimatur, retinendum omnino cum *Jo. de Laet* hoc
 ipsum putamus; hac verò distinctione simul observatâ,
 quod h. l. ejusmodi intellectam velimus artem, ubi non
 integris tabulis atque figuris imprimatur, quemadmo-
 dum apud *Sinenses* longo abhinc tempore in usu fuisse,
 traditur; sed potius, ubi literae seu apices aenei, singuli
 seorsim assumti, certoque ordine inter se compositi, ap-
 plican-

plicantur chartis. Deinde & hoc annotari meretur discrimen, quod voc. *Typographiae* accipiatur partim pro arte absolute considerata; quatenus est habitus animo Typographi inhaerens; partim verò pro toto aliquo integrali, ex variis partibus heterogeneis, e. g. *typis, atramento, prelo, &c.* composito, quatenus in officinis Typographicis reservatur. Nos posteriorem h. l. amplectimur significationem, quae inservire per omnia nostro videtur scopo; quoniam & priorem exclusam penitus nolumus.

III. Alio nomine *Chalcographia* appellatur, à *χάλυξ*, aere, quoniam typi s. characteres impressorii ex aere maxime conficiuntur. *Scaliger in Exercit.* usus est vocabulo *Cassiterographiae*, vel, si Dialecto efferas Attica, *Cattiterographiae*, à *κασιπίες* vel *κατιπίες*, stanno, plumbo. Latine dicitur ars impressoria, ars excursoria. In vernacula nostra audit, *die Buchdrucker Kunst*, *die Buchdruckerey*, *die Prenterey*; quod vocabulum aliquoties usurpatum invenies in libello recens à membro Soc. Teut. edito, sub Tit. *Zeitungs-Lust und Nutz*, ubi deducit à verbo Germ. *prenten*, quod idem ipsi significat ac *drucken*. Quomodo aliis Nationibus vocetur, cum nostra minime intersit, silentio hinc praeterimus.

IV. Alias multas deprehendimus appellationes, quibus *Typographia* passim honoratur. Ita a *Thom. Lansio* ars memoriae, mors oblivionis, ingeniorum asylum, salutatatur. A *Bocclero* scholarum mater; à *Salmuthio* omnium artium conservatrix; ab *Hachenbergio* ingeniorum vitae literarum tutela, appellatur. Sic etiam vocatur Regina artium, ars artium, Musarum praesidium, palladium Virtutum, & quae caeterae sunt; quibus summam hujus artis tum dignitatem, tum utilitatem declarare satagunt Scriptores.

V. Sed de Nomine Typographiae ut prolixiores
simus, instituti nostri ratio non permittit, progredimur
itaque ad rem ipsam sive *Pragmatologiam*, quae *Existentiã*
communiter atque *Essentiã* absolvitur. Equidem de
Existentiã quicquam admonere supervacaneum prorsus
arbitramur. Quemadmodum enim nullus dubitat mor-
taliū, an Sol etiam existat? quippe cujus radios atque
splendorem suis quotidie usurpat oculis: ita quis Solem
alterum Eruditorum, ejusque *Existentiã* vocaret in du-
bium; cum non eruditis solum literarumque cultoribus;
sed omnibus tere ac singulis hominibus totique terrarum
orbi clarissimam accendat lucem?

VI. Sed enim vero in quonam nobilissimi hujus ar-
tificii *Essentiã* consistat explicare, altioris est indaginis.
Nos ut eò progredi feliciter valeamus, *primum* omnes e-
jusdem partes, i. e. *causas* cum *externas*, tum *internas* per-
vestigabimus; *deinde* ex partibus totum, *Descriptionem*
scilicet ex *Causis* fluentem, constituemus; & *ultimo* de-
nique loco paucis *Typographiae Adjunctorum* mentionem
injiciemus.

VII. Ex *Causis* primò sistimus *Efficientem*, a quo ni-
mirum Typographia fuerit inventa. De *causa* quidem
prima, res ita est in promptu, ut non egeat disputatione.
Nam cum bona omnia proficiscantur ab eo, qui fons
est & scaturigo bonorum, tum maxime de arte hac in-
comparabili minime addubitandum, quin Numen beni-
gnissimum cœlitus eam per spiritum suum aperuerit. Un-
de enim, inquit Celeberr. Bœclerus, in *Orat. de Typogr.*, arcesse-
mus id *literarum propagandarum arcanum*, quàm ab eo, qui
primus Adamum humani generis parentem literas edocuit? Hinc
etiam, juxta B. Lutherum, *summum & postremum DEI donum*
audit, & communis Germaniae Praeceptor, Melanch-
thon artificium hoc *donum* vocat *divinitus generi humano*

5972

communicatum. DEUM itaque primum Typographiae esse autorem, extra omnem controversiam est positum.

VIII. Sed illud nunc in quaestione potius versatur, per quos DEUS O. M. maximum hoc beneficium primum revelaverit? Namque de hoc si Scriptores consulamus, magnum inter eosdem dissensum reperimus & discordiam. Non enim diversis solum Germaniae civitatibus inventio adscribitur; sed de inventoribus quoque ipsis adhuc sub iudice lis est. Sunt insuper & alii, qui penitus hanc inventionis gloriam eripere *Germanis*, atque extraneis eam adscribere Nationibus, *Batavis* nimirum, *Gallis*, *Italis*, aliisque, non dubitarunt. Imò non desunt, qui a remotissimis illis, postremamque *Asiae* partem incolentibus *Sinensibus* Typographiam ad *Germanos* pervenisse tradunt. In tam proinde contrarias distrahuntur sententias Scriptores; ut animum legentis dubium prorsus ac incertum relinquant.

IX. Sed quæras, unde tanta sententiarum diversitas? & quaenam ratio hujus Scriptorum dissensus? Respondemus, rem, si primo intuitu spectes, sua non carere difficultate; quis enim dissensum semper Scriptorum, unde exoriatur, explicare potest? quod si vero in singulorum fundamenta, quibus nitantur, paulo hic penitus inquiras, innotescet facile, cur a rei veritate tantoperè discedant, & alii aliam, eamque falsam prorsus amplectantur sententiam. *Causa* igitur *prima* nonnullorum est *Ambitio*. Hæc enim sicut in multis rebus humanis dominatur gestorumque saepe veritatem obscurat; ita etiam hoc loco exteri cum intelligerent, quantum primis Typographiae inventoribus totus deberet terrarum Orbis, suae unusquisque Nationi hanc vindicare laudem annitebatur. *Altera* deinde *causa* dissensus est *Invidia*. Hac etenim qui stimulantur, cum
alie-

aliena inventa pro suis ementiri nequeant, aliis quoque hanc, quam inde consequuntur, gloriam detrahere non erubescunt; & hinc non immerito ab *Henric. Salmuth. in Notis ad Panciroll. Tit. XII.* comparantur *Gryphis Indicis, meretricibusque* illi; quae nec sibi, nec collitiganti mulieri saluum volebat filium, *I. Reg. III.* Tertio quoque ad sententiarum varietatem multum contribuisset videtur *veritatis ipsius ignorantia.* Multos enim deceptos fuisse a rumore vulgaris famae, facile cum *Celeb. Baeclero* credimus, quorum error postmodum errorem traxit ulterius, qui cum progressu temporis radices in animis hominum egit, atque incrementa sumsit. Alias denique, praeter adductas, suppeditat causas modo laudatus *Dn. Baeclerus, loc. cit. p. 329.* rei nimirum *difficultatem*; quod dubiae arduaeque fuerit investigationis: quodque aliis voluntas probandi, ut alieno loco; aliis tempus laboriose conquirendi probationes, defuerit: quosdam vero argumentorum inopia aut desperatio ad alia praeverti iusserit. &c.

X. Consideratis itaque dissensus hujus causis, considerandae quoque nunc forent singulae Scriptorum sententiae, quos videlicet unaquaeque & quales habeat autores; quibus nitatur argumentis & rationibus, num firmis, an vero invalidis? quid circa illam ab aliis in contrarium proferatur, & quomodo à Scriptoribus majori fide dignis rejiciatur? & quae sunt alia, quibus probe examinatis vera elucescet facile sententia. Verum cum id longe prolixioris sit ambitus, quam ut paucis his pagellis exponi possit, peculiari quodam instituto, si vitam viresque indulserit DEUS, talia haec declaranda dabimus. Hic vero brevissimis tantummodo quaedam de illis edisseramus; ut demum constet, quis verus fuerit inventor, quove loco ac tempore hoc inventum fuerit excogitatum.

XI. Prae-

XI. Praeter Germanos, proinde reliquas Nationes omnes ab hac inventionis laude excludi posse ac debere, meritò existimamus. Quae enim in contrarium à quibusdam proferuntur de *Sinensibus, Italis, Gal-
lis, Batavis*, ita certè comparata sunt, ut in assensum aliquem vix rapiant, qui probe accurateque omnia examinaverit. Namque si dicendum, quod res est, primum non amore veritatis commoti, sed potius, quod §.IX. diximus, aut ambitione inflati, aut invidia stimu-
lati, aut errore quodam decepti, ab hac nostra sententia discedunt; id quod una mente omnes affirmant, quos in refutandis his opinionibus occupatos cernimus. Deinde quoque à nemine hactenus sententiarum istiusmodi Patrono demonstratum fuit, quod omnino tamen demonstrari debuisset, Germanos non esse Typographiae inventores: tantum enim abest, ut invalidis suis infirmisque argumentis quicquam contra Germanos efficiant, ut potius suppeditent occasionem, nostram magis magisque corroborandi sententiam, suas verò opiniones refutandi ac destruendi; atque hoc etiam solide factum à Scriptoribus nostris satis jam tum constat, & innotescet ulterius ex subsequen-
tibus.

XII. His namque generatim praemissis, pauca quaedam de singulis speciatim annotabimus. Et primo quidem de *Sinensibus* negamus statim, nostram ab ipsis *Typographiam* suam traxisse originem. Licet enim largiamur facile, artem inventionemque, quam habent, ipsis esse propriam, ab eisque usurpatam diu ante, quam nostra fuerit inventa; exinde tamen evinci non potest, *Germanos* suam ipsis debere *Typographiam*; quod contra *Paulum Jovium, Job. Consalvum Mendozam, Gvid. Paucirollum*, aliosque, huic opinioni addi-

B

ctos

Etos multis rationibus probe observat *Henr. Salmuth.*
in Notis ad Panciroll. Deinde verò nostram maxime
ab eorum discrepare quis ignorat? Ingens enim inter
Germanorum & Sinensium Typographiam datur discrimen,
quod annotatum vide ap. *Mich. Majerum*, aliosque.
Accedit, quòd hujus sententiae autores sibi met ipsis
passim contradicant, quorum loca pugnancia *Thom.*
Lansius collegit in *Orat. pro Germ.*

XIII. Eodem fundamento nituntur & illi, qui
Italiam, itemque *Galliam*, inventionem adscribunt, siquidem
& hae Nationes Inventores Typographiae salutari ne-
queunt. De *Gallis* enim res ita est in promptu, ut disce-
ptatione ulteriori non egeat; namque *Antonii Campani*
falsa de Typographiae inventionem sententia jam du-
dum est explosa, vid. *Majerus in vero Germ. invento.* De
Italiam verò cognitum perspectumque satis est ex *Thom.*
Garzoni amphitheatro universalis, *Mylaei* consilio Hi-
storiae Universitatis scribendi, aliisque *Italarum* scriptis,
quòd sibi vindicare inventionem hanc plane non de-
siderent. Et quanquam *Pomponius Laetus* eosdem ex-
inde evehendos cupide laboret, praeclare tamen eum
confutavit *Peutingerus in Antiquitatibus Germ.*

XIV. Sed quid nunc dicendum de *Batavis*?
Numne illis etiam denegari potest inventio? Nonne
Hadrianus Junius, itemque *Bertius*, & alii, multis compro-
bare argumentis videntur *Laurentium Jo. Costerum, Har-*
lemensem, primum Typographiae fuisse inventorem?
Et quis ignorat, hodie adhuc in foro *Harlemensi* ad do-
mus *Costerianae* fastigium hanc legi inscriptionem?

Tot eeuwige Memorie de Druckerye,
Konste aller Konsten Bewaersterse,
Is hier eerstmaal gevonden ontrent het Jaar

MDCCCXL

Respon-

Respondemus, ita quidem est, quod manibus quasi pedibusque enixe omnia faciant, ut hominibus perivadeant, se primos Typographiae esse inventores; aut enim verò quibus argumentis id ipsum comprobant? Qui *Hadriani Junii*, itemque *Bertii*, aliorumque verba probe examinaverit, intelligit facile, sine fundamento sufficienti talia ab ipsis fuisse prolata, ut accurate demonstratum dedit *Mich. Majerus*, quem Virum hoc loco instar omnium laudatum volumus: conferri cum eo potest *Jubilaeum Typographorum Lipsiense*, itemque *Henr. Salmuthius* l. c.

XV. Remotis itaque ea, quae fieri potuit, brevitate his sententiis, remanet tandem illis haec inventionis gloria, quibus unanimi omnium consensu semper fuit assignata, h. e. *Germanis solis*. Namque hoc ipsum non uno vel altero, sed quamplurimis doctorum Virorum testimoniis, neque testimoniis solum, sed variis quoque rationibus ac momentis confirmari potest, quae apud citatos videri possunt autores. Et quanquam adhuc disceptetur de primo inventore inventionisque loco, an scilicet *Jo. Guttenbergius*, an verò alius extiterit? item, num *Argentinae*, an verò *Moguntiae* primum sit inventa? totam tamen litem componi posse facile, ex *Annalibus Argentoratensium*, cum insigni Theologo, *D. Job. Schmidio*, *Celeb. Bæclero*, aliisque non postremae notae Scriptoribus, arbitramur; quorum summa huc redit: quod primus Auctor fuerit *Jo. Mentelinus*, civis *Argentoratensis*. Hic enim A. M. CCCC. XL. artem hanc in Patria excogitaverat; cum verò perfidus ejusdem famulus inventum hoc, quod à *Mentelino* tanquam mysterium occultum tenebatur, *Jo. Guttenbergia*, Viro Equestri loco oriundo, detexisset, contulerunt sese *Moguntiam*, ubi Typographiam sibi comparabat *Gut-*

tenbergius, eamque palam exercere non dubitabat; quo factum nobis videtur, ut quamplurimi Scriptores *Gutenbergium*, auctorem primum, *Moguntiam* vero *inventionis locum* fuisse, affirmant.

XVI. Sed pergimus ad *Causam Materialem*, quam triplicem habemus; aliam *Ex qua*, sive rem constituentem; aliam *In qua*, sive Subjectum; & aliam *Circa quam*, sive Objectum. Ad *materiam Typographiae Ex qua* referenda veniunt instrumenta omnia ac singula Typographica, quae, ceu partes totum integrale constituunt, commodeque distingvi possunt *in magis necessaria*, quibus scil. sublatis, effectus fieri nequeat; & *minus necessaria*, sine quibus tamen actio fieri & aliqualis etiam effectus produci queat. Ad *priora* spectat (1) *Typus literarum*, qui non unius est generis, sed maxime opere variat non solum pro diversitate lingvarum, ut alius sit Germanicus, quem vocant *Fracturam*; alius Latinus, qui duplicis est generis, vel *Antiquus*, vel *Cursivus*; alius Graecus, Hebraicus, &c. sed etiam pro diversitate conii, sive pro diversa styli & prominentis notae altitudine; ubi dantur *grosse und kleine Versalia*; deinde *Missal / Canon / Roman / Text / Paragon / Tertia / Mittel / Cicero / Corpus / Petit / &c.* quae typorum appellationes technicae omnium lingvarum characteribus applicant Typographi, hinc in Germanicis habent: *Missal-Fractur / Canon-Fractur / & sic porro*. In Latinis: *Typum Antiquum, vel Cursivum, ut: Canon-Antiqua, Canon-Cursiv, Roman-Antiqua, Roman-Cursiv, &c.* Sic quoque in Graecis, Hebraicis, & aliis lingvis Orientalibus: *Tertia-Griechisch / Mittel-Griechisch / & sic ulterius*, Caeterum ex quanam imprimis materia constat, & quomodo conficiatur? partim superius in evolutione Nominis diximus, partim videri potest *Lex. Graecum Basil.*

fil. aliique hujus rei Scriptores. (2) *Atramentum impres-*
orium, quod peculiari arte, ex fuligine oleoque lini con-
ficitur, de quo vide praeter alios, *Petrum Mariam Canepa-*
rium in tractatu de *Atramentis cujuscunque generis*; qui
& antiquorum & recentiorum Typographorum atra-
mentum fuisse descripsit. (3) *Prelum*, cui literarum typi,
dicto atramento illiti, subjiciuntur, chartaeque super-
impositae apprimuntur. *Ad posteriora* referenda sunt
reliqua omnia, quae in officinis Typographicis repe-
riuntur; quibusque carere nequit omnibus partibus
absoluta ac perfecta Typographia, e. g. Loculamenta
literarum, capsulis variis distincta, cum fulcris suis, die
Schrift-Kasten und ihre Gestelle / margines ferrei, eo-
rumque cochleae, quibus ex literis compositae for-
mae, ut vocantur, coarctantur, die *Form-Rahmen mit*
ihren Schrauben / gnomon, seu norma linearis, juxta
quam literae singulae in versus componuntur, den
Winkelhafen / it. Tabulam compositoriam, *Form-*
Bret / Columnas, die *Stege* / quae vel intercolumnia,
Mittel-Stege / vel columnae transversae, *Creuz-Ste-*
ge / porro, pilae tinctoriae, die *Farbe-Ballen*. &c.

XVII. *Materia Typographiae In Qua* s. subje-
ctum, est officina ipsa; in qua omnia haec s. praee-
denti commemorata conservantur. Quod si verò ar-
tem abstracte consideratam spectes, ut habitus ani-
mo inhærens, tunc subjectum esse ipsos Typographos
nemo facile ignorat, quorum geminam hodie habe-
mus Classem, alteram constitunt Typothetæ s. com-
positores, die *Setzer* / alteram impressores, die *Dru-*
cker / utrorumque officium, ex s. sequenti constabit.
Materia denique circa quam, sive *Objectum*, est omne id
primario, quod luci exponendum publicæ, perque
universum terrarum orbem divulgandum, quodque

imo verbo *Typographis Exemplar* audit; *secundario v.*
& *charta* Objectum constituere potest, siquidem circa
eandem imprimis versantur impressores; sicuti circa
Exemplar praecipue typothetae sunt occupati, ut Ty-
pum juxta illud desideratum exhibeant.

XVIII. Veniendum nunc ad *Causam Formalem*,
& ad ipsam rei Typographicae operationem & admi-
nistrationem. Ubi fusissime describendum esset offi-
cium & typothetarum, & impressorum in applican-
dis Typographiae instrumentis, dici etiam prolixè
posset, quia ratione sibi invicem cuncta elegan-
ter inserviant; sed, cum brevitati studendum nobis
sit, unicum allegasse *Dn. Bœclerum* hinc sufficiat; qui per-
spicue, ac nerve, omnia in pauca redegit, in *Oratio-
ne* saepe multumque laudata: *Arripiuntur*, inquit, *ce-
lerrima typothetae manu, e capsulis, quibus discrete sunt, li-
terulae: coalescunt in voces, dividuntur spatiis, terminantur
versibus; quorum singuli contiguè sibi invicem accrescentes,
ubi columnam, ut hodie loquuntur, sive modum, quem faci-
es pagina habitura est, explevere, colligantur; donec diviso
locis idoneis numero columnarum, formas, quas vocant, clau-
stro quodam ferreo, tanquam munimento circumposito, ar-
cte coactas, praelum chartae superimposita imprimunt. Ita
quae in formis sinistra, in chartis dextra apparent: quae in
formis atramento, peculiari arte confecto, non colorata ma-
gis, quam obscurata erant, in niveo chartae aequore, liquido
ordinata ac distincta lucent & interlucent.* &c.

XIX. Denique ad *Finem Typographiae* devolvimur;
qui vel *ultimus*, & quidem tum *simpliciter talis gloria ni-
mirum DEI*, ad quam semper respiciendum. *Quodcun-
que enim*, inquit idem *Dn. Bœclerus*, *laborari, perfici, & ad-
ornari hujus artis beneficio curavit DEUS, illud auctoris glo-
rie servire debuit. Cui soli si studeant homines, saluti suae
stude-*

studeant utique: quæ extra auctoris gloriam nec quæri, nec inveniri potest. Tum secundum quid talis, hominum nimirum salus atque emolumentum. Vel Intermedius, qui pro intentione variat agentis. Ad hos autem Fines multum facere Typographiam omnes hujus artis Scriptores, imo ipsa rerum magistra Experientia satis superque testatur.

XX. Sed de causis hætenus; nunc videamus, quæenam ex illis fluat Descriptio. Prolixior prodiret talis: Typographia est singulare quoddam artificium, Seculo XV. à Germanis divino munere excogitatum, quàm plurimis typis, sive characteribus aeneis, quibus legitime à Typotheta, juxta Exemplar autographum, compositis, preloque subjectis, ope deinde pilarum atramento peculiari ab impressore illitis & chartis superimpositis singulari quadam facilitate ac celeritate imprimitur ad Numinis divini gloriam, hominumque commodum ac salutem. Paulo brevius sic posset concipi: Typographia est novum scribendi genus, ultimis temporibus inventum, ubi non calamo, sed typis aeneis atramentoque peculiari arte confecto, beneficio preli, scribitur celerrime, Quæ Descriptiones ex hætenus expositis sine ulteriori explicatione facile intelliguntur.

XXI. His ita expositis, nil restat amplius, quàm ut paucis Adjuncta etiam Typographiæ subjiciamus; inter quæ primum locum obtinet Maxima ejusdem Dignitas atque præstantia, quæ vel ex eo innotescit, quod Typographia longo intervallo cunctas post se manuarias relinquat artes; quippe per eam caeteras omnes aut conservatas habemus aut propagatas. Et quis nescit, propter dignitatem cum Sole sæpius eandem comparari? Inventum hoc, inquit Majerus, totum illustravit Orbem, ut Sol terrenus, nec solum terram ditavit; sed animos quoque hominum instruxit disciplinis & artibus, tabulam

21770452
lamque mentis nudam notitiis & axiomatibus. Alterum
deinde Adjunctum est *summa utilitas*; quae certe tan-
ta, ut verbis exprimi à nemine satis possit: non enim
solum corporis, sed animæ quoque salutem per eam
scimus promotam. Quis namque ignorat, quantum
ad Verbi divini luminisque Evangelici propagationem
conservationemque contulerit? & cui ignotum esse
potest, quantum ultimis hisce seculis literæ floruerint,
quantaque hac arte incrementa cœperint, imò quan-
tum denique publicis in rebus atque privatis, foren-
sibus ac domesticis adjumentum attulerit mortali-
bus? Adjungitur tandem ipsi quoque *Celeritas atque
facilitas*. Tantum enim unius diei spacio ab uno ho-
mine imprimitur, quantum vix integro anno à plu-
ribus scribi potest; quam celeritatem *Cardanus* admi-
rans scribit: *Non facile dijudicare potest, num in tanta fa-
cilitate ac celeritate pulchritudo? an vero in tanta pulchritu-
dine celeritas & facilitas admirabilior sit?*


XXII. Atque haec de *Typographia* breviter dicta
sufficiant. Multa quidem adhuc per totam Disserta-
tionem desiderari videbuntur, e. g. quomodo & qua
occasione *Typographia* sit inventa? quemnam librum
primò impressum habeat posteritas? quantum haec
ars cum cultoribus suis ab Imperatoribus, Regibus,
Principibus, aliisque superioris conditionis hominibus
fuerit aestimata? qua ratione per Europam totam
propagata? Num semper & ubique typus fuerit ae-
neus, an vero alibi, ut in *Batavia*, detur argenteus? quod
vulgò imperiti credunt. &c. Sed hæc aliaque plura de-
clarabimus impofterum, si DEO & Superioribus annu-
entibus paulo specialius circa *Typographiam*
versaturi sumus.

SOLI DEO GLORIA!

ULB Halle
001 534 602

3





B.I.G.

Farbkarte #13

Q. K. 520, 4

B. m.

II a
452

Q. D. B. V.
DE

TYPOGRAPHIA,

disputabunt publice

PRAESES

M. ERNEST. CHRISTIANUS
SCHROEDTERUS,

Wittenberga-Saxo,

&

RESPONDENS

JACOBUS FRIEDERICUS Kunad/
Dalehn. Misn.

Die 1. Septembris,

Anno O. R. M DC XCVII.

In Auditorio Minori.

WITTENBERGAE,
Per CHRISTIANVM SCHROEDTERVM, Acad. Typ.

